

ret: *Quid hominem laudatis qui Aristotelicus est? Et ut scias, Rex, qui illi homines sint, Aristocratiam meliorem esse Monarchiâ affirmant; prout rem totam prolixius recensere Phil. Melanchtonem in Resp. ad Colonienses notat Hornius Lib. VI. Histor. Philos. cap. VIII. in fine.*

VI. Accedit autem ad Sectarum istas mutuas injurias speciatim etiam antiquitatis venerandæ contemptus ex una parte, ex alia novitatis omnis inconsideratum odium, cum oppositi immodico amore studioq; conjuncta, prout scilicet aut recens orta secta una, aut à multis retrò seculis fundata altera fuerit. *Qua in re (uti scitè prudentissimus Verulamius Lib. I. de Augment. scient.) temporis filia malè patrisant: Ut enim tempus prolem devorat, sic hæ se invicem; dum antiquitas novis invidet augmentis, & novitas non est contenta recentia adicere, nisi vetera prorsus eliminet & rejiciat.* Testatur id satis vel moderna Philosophantium consuetudo, quorum alteri parti, quòd hic aut ibi lapsos veteres experimenta manifestissima commonstrent, quicquid etiam auri prisca ex Aristotelis, Platonis, Epicuri, cæterorumq; Philosophorum antiquorum fundis eruitur, nil nisi scoriæ quisquiliæq; videntur, præ novissimis, ut ipsi quidem credunt, *Cartesii sui cogitationis & inventis, quorum occasionem tamen sæpe luculentissimam in illorum vetustissimis monumentis observant oculatiores; alteri verò hujus aliorumq; recentiorum omnia, quæ cum veterum decretis non consentiunt, hoc uno nomine quòd nova, ita exosa sunt, ut ne auditu quidem visu ve digna judicent.* Certè scio, scribit *Franciscus Redi* in observationibus de viperis, quòd egregiè doctus *Magister in Scriptis Peripateticorum & Vir venerandus, ut non cogeretur confiteri veras esse antea non visas stellas, & alias curiosas novitates in cælo à Galileo repertas, noluerit unquam Telescopium oculo admovere: & alius, cui dixeram, quòd parvi isti bufones, qui æstate, quando pluvia incipit decidere, saltant in publicis pulverulentis viis,*